

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO

*M.A. Level Medieval Latin Examination*

6 September 2000

\*\*\*\*\*  
Translate ALL FOUR passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

\*\*\*\*\*

1. An exemplum on Avarice

Unde narratur de quodam tali in episcopatu Norwici qui fuit ballivus domini regis, qui ex consuetudine pauperes et simplices vexabat. Habuit tamen uxorem bonam et sanctam ab omnibus dilectam. Tandem ambobus mortuis, eorum filius et heres de statu eorum certum scire cupiens, ieuniis et oracionibus intentus pro huiusmodi Deum exorabat. Quadam autem nocte in spiritu raptus ductus est per angelum ad locum amenissimum, ubi matrem in maximo gaudio iocundantem aspexit, dicens quod salvata esset et supplicans quod similiter statum patris aspiceret. Et circumductus ad locum teterimum vidi patrem suum in penis horribilibus vexatum. Quem cum de statu suo fuisset allocutus, respondit pater: "Fili, inquit, Deus dereliquit me eo quod suos pauperes spoliavi et miseros reliqui, et hostis antiquus in hoc loco tenebrarum me suscepit, ubi semper cum bestiis diabolicis et amentibus crucior, quia pauperum bestias iniuriose tractavi." Quod audiens filius mundum reliquit et in paupertate et humilitate Domino serviebat.

## **2. From the introduction to Gregory the Great's commentary on the Song of Songs**

Postquam a paradisi gaudiis expulsum est genus humanum, in istam peregrinationem uitae praesentis ueniens caecum cor ab spiritali intellectu habet....

Hinc est enim, quod in hoc libro, qui in Canticis canticorum conscriptus est, amoris quasi corporei uerba ponuntur: ut a torpore suo anima per sermones suae consuetudinis refricata recalescat, et per uerba amoris qui infra est excitetur ad amorem qui supra est. Nominantur enim in hoc libro oscula, nominantur ubera, nominantur genae, nominantur femora; in quibus uerbis non irridenda est sacra descriptio, sed maior dei misericordia consideranda est: quia, dum membra corporis nominat et sic ad amorem uocat, notandum est quam mirabiliter nobiscum et misericorditer operatur, qui, ut cor nostrum ad instigationem sacri amoris accenderet, usque ad turpis amoris nostri uerba distendit. Sed, unde se loquendo humiliat, inde nos intellectu exaltat: quia ex sermonibus huius amoris discimus, qua uirtute in diuinitatis amore ferueamus.

## **3. Marseilles, 1248: appointment of a general procurator to recover a piece of land**

Ego Hugo Salvago, de Varagine, facio, constituo, et ordino te Guillelmum Pisanum, de Varagine, presentem, meum generalem procuratorem in omnibus meis negociis peragendis. Dans tibi liberalem et generalem administracionem in omnibus supradictis et specialiter ad agendum, petendum, et recipiendum ab heredibus Guillelmi de Arena, quondam, quandam terram ad me pertinentem que confrontatur ab una parte cum terra Guisolfi de Varagine et ab alia cum terra Hugonis Infantis. Dans tibi licenciam et liberam facultatem ut tu, procuratorio nomine, agere et experiri possis contra predictos heredes et contra omnes quascumque personas, et excipere et replicare tam in agendo quam defendendo, et omnia demum facere quecumque, si presens eram, possem facere in premissis. Promitens me ratum perpetuo habiturum quicquid tecum vel per te actum fuerit in premissis.

Et ego dictus Guillelmus Pisanus, dictam procurationem recipiens, promito tibi dicto Hugoni dictam procuracionem et officium dicte procuracionis me bene et fideliter pertractare, agendo utilia et inutilia postponendo. Testes: Johannes de Benenca, Raimundus Boneti, Raimundus de Albanea.

#### 4. From a Dominican manual for confessors

Postea sacerdos incipiat monere peccatorem hiis uerbis et similibus: "Frater, non uult Dominus mortem peccatoris, set ut conuertatur et uiuat; quod manifeste declaratur in te quia noluit in tuo peccato te occidere, cum tamen posset et de iure potuisset, set ut uenires ad penitentiam te inspirauit. Videas ergo ne stultitia ductus aliquod peccatum fatuo pudore uel timore uel honore occultes. Ego enim, miser peccator, plura feci uel saltem plura audiui quam tu. Memet ipsum instituo esse participem et subportatorem peccatorum tuorum et oratorem pro eis. Preterea non occultes mihi peccatum. Ad quid uenisti? Nam antequam accederes ego nichil sciebam. Set ideo caue tibi quia Deus non irridetur. Ipse enim cogitationes hominum scit. Scias proculdubio quod si celares ex industria tua unum peccatum, de aliis ueniam consequi non posses. Nec propter magnitudinem uel enormitatem peccatorum est aliquod occultandum in confessione, quia quamuis peccata magna sint, tamen Dei misericordia in confessione lauantur. Dicas igitur in nomine Domini quecumque uolueris."